



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

XII. De Misericordia Beati Erminoldi erga pauperes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

Reg. 6.

non imparem Heliseo, qui Syros ad se capiendum hostiliter venientes Samariam introductos, amice, ne necarentur eripiens, cibo insuper refectos ac potu, ipsos domino suo remisit. Idem finis secutus est vtrobiq; Nam illi terram Israel vltro non addiderunt intrare, & isti molestare deinceps nos cessarunt; nisi quod Syros stupor timorque cohibuit; istos vero deuicit benignitas charitatis. Diximus qua constantia & virtute mundi spreuit dignitates oblatas, qua illa tas iniurias patientia tulerit aut deuicerit mansuetudine; superest, vt qua indigentibus proximis liberalitate collata sibi à Deo cum communicauerit, quamq; in his contra deficiendi timorem in domino confidentiam semper habuerit, ostendamus.

DE MISERICORDIA Beati Erminoldi erga pauperes.

XII.



VRAM quidem sollicitam ac prouisionem receptionemq; peregrinorum ac pauperum, inter virtutes cæteras, quibus claruit homo Dei, quasi spiritus sui sponsam elegerat specialem, propter quod & in exercitij eius solebat amplexibus singulariter delectari, adeo quod egeni & pauperes ipso iam vsu in necessitatibus suis cum omni ad eum securitate, tanquam ad debitorem quandam accedere præsumebant, & quibus egebant, tanquam à quodam œconomo suo fiducialiter postulare. Nouerat etenim, quod exemplo Apostoli, cum esset liber ex omnibus, omnium seruum se fecerat indigorum. Deus igitur famulum suum tentare cõstituens, imo miserationis inolitæ sibi virtutem omnibus decla-

declarare, vocauit famem super terram, omne firmamentum panis contriuit in tota **BAVARIA**, ita vt plurimi propter inedia pauperes interirent. Ad Erminoldum igitur ex more concurritur, referantur cellaria, promptuaria patefiunt, distribuuntur pauperibus vniuersa. Non enim prius pater sanctus in erogando defecit, quoad deficeret, vnde iam posset aliquid erogare. Exhaustis siquidem omnibus officinis, ipse coepit egere, qui super egenum & pauperem intellexerit. Venerunt namque ministri qui dixerunt, omnia claustrum granaria vacuata, nec iam frumenta ad vnicum & prandium fratribus superesse. Quid ergo vir Dei nunc faciat anxius? Recurrat ad horrea? sed vacabant: emat in foro? sed precium emptio- nis in caelestes thesauros, manus pauperum deportauerat. Ad Deum ergo conuertitur, & tanquam factus in agonia prolixius orabat ad eum qui dat omnibus affluenter. Veri autem adoratoris adorantis patrem in spiritu & veritate oratio erat huiusmodi: Domine per naturam, per gratiam vero Pater, saluifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc tantae necessitatis, vt fratrum meorum oculi omnium in te sperent, & tu des illis escam illorum in tempore oportuno, quorum propter te victualia sunt expensa. tu itaque redde quod debes, debes siquidem dantibus, qui dixisti, Date & dabitur vobis. Huiusmodi quidem ad Dominum. Porro ad beatum **GEORGIVM** patronum Ecclesiae secundum, simile erat huic quod orabat: Beatissime Martyr ecce praecipis salutaribus monitus, & diuina institutione formatus & iussu, dispersi, dedi pauperibus quae habebam, qui Deo tibi que in hoc loco deserunt, nec habent iam quod manducant, & si dimisero eos ieiunos, & non fuerint sa-

Psalm. 104.

Psalm. 49.

Iacob. 1.
Ioan. 4.Oratio ad S.
Georgium.

sa-

4. Reg. 7.

saturati, & murmurabunt aduersum me, calices & vestes & libros & alia ornamenta distrahere pro victu compellor, tu ergo subueni, tu succurre, tibi enim reuelauī causam meam atque necessitatem. Huiusmodi famuli sui clamores Dominus exaudiuit, beati GEORGII, quem mediatorē elegerat, interuentu, nec eum distulit consolari. Nam statim in crastino nobilis quidam & diues, cuius dominus cor tetigerat, superuenit, & honorans Dominum de sua substantia, fratrum suppleuit inopiam copiosè, ita vt noui cuiusdam meritis Helisei, pristina fames in Prúfingen tanquam in porta Samariæ pelleretur. Adhuc excellentiorem viam ostendendæ sanctitatis ipsius duximus demonstrandam, quibusdam forsitan incredibilem, sed compertam crebra relatione fide dignissimi senioris, qui tanti miraculi testis & conscius fieri meruit & Symmista

QVOD INVENTVS EST IN
Monasterio clausis ianuis.

XIII.



Equadam cum ante ianuas staret Ecclesiæ Pater sanctus, & fores essent clausæ, custode Monasterij stante cum illo, cuiusdam necessitatis euentu, Ecclesiam ipsam, Dei seruus intrare volebat. Cumque custos propero cursu circueiens, aperire Abbati Ecclesiam properaret, inuenit eum, mirabile dictu, quem foris reliquerat, introrsus ante altare sanctæ CRUCIS intente orantem in ipso loco, vbi nunc eius venerabile est sepulchrum, ianuis tamen Ecclesiæ non apertis. Cumque custos insolita nouitate miraculi staret attonitus & stupefactus, tantæ rei euentum apud se miraretur, surgens oratione completa vir Dei, custodi sub districtæ

con-